

VITA Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI,

gare dicuntur, uix ad nos tenuis fama perlabitur, & ab auribus nostris
 spinarū sepe munitis & aura frigida, uelut importunū uacui culicis mur-
 mur excludit. Hæc Paulinus. Eusebius etiā in opere suo Chronico testa-
 tur Tertullianū sub Seuero floruisse quum hoc imperante gesta adno-
 tans inquit, Tertullianus Afer Centurionis Proconsularis filius, omnium
 ecclesiarum sermone celebratur. Caterum cum in libro de Monogamia
 Tertullianus ait, Magis nunc tempus in collecto factū est, annis circiter
 CLX exinde productis, ab ætate diui Pauli supputationē temporis init.
 Nam post mediā ætatē (ut inquit Hieronymus) ad partes Montani defe-
 cit. Igitur non admodū iuuenis de Monogamia scripsit. Lactantius Fir-
 mianus diuinarū institutionū libro quinto capite primo, recensens quos-
 dam ex ueteribus qui rem Christianam tutandam aduersus ethnicos su-
 sceperunt, Septimius quoque Tertullianus (inquit) fuit omni genere lite-
 rarum peritus, sed in loquendo parū facilis, & minus comptus, & multū
 obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis inuenit. Idem in tertio
 capite eiusdē libri, Quamquam, inquit, Tertullianus eandē causam plene
 perorauerit in eo libro cui Apologetico nomē est. Loquitur autē de causa
 Christianorum. Vxorem porrò habuit, ad quam scripsit duos libros, ad-
 hortans eam ad castitatem & uitam uidualem, si ipsum contingat priorē
 è uiuis excedere. Autor est Aur. Augustinus illum relictis Montani secta-
 toribus, sua separatim instituisse cōuenticula. Forte quod Montanistarū
 impietatem non probaret. Meminit in opusculis quæ nos ædidimus quo-
 rundam aliorū librorum quos non putamus hodie extare, uidelicet

De spectaculis, De spe fidelium, De testimonio animæ, aduersus
 Apellem hæreticum, De anima. Quorundam etiam me-
 minit Hieronymus qui nō comperiuntur. Vixit autē usque
 ad decrepitam ætatem. Cæterū omittere nō possumus
 quod Regino scriptor ille rerum Germanicarū inter
 martyres Tertullianū recenset, qui in ecclesiæ per-
 secutione pro Christo sanguinē fuderūt. Quod
 quia non traditur à diuo Hieronymo, qui
 tam candide huic fauit, ut hoc haud
 fuerit omisurus, apud me si-
 dem non meretur.

*Compositus anathema
romanicum*

Eusebius

Montanus

Non omnino fuit Montanus

alii libri Tertulliani

Tertullianus martiris

Regino

scripsit

chronographicis